



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. VI. Vtrùm habitus caritatis sit semper intensior in patria quàm in via?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

Disp. 22. De subiecto, increm. dimin. ac amiff. carit. Dub. 5. & 6. 449

quod communiter omnes fatentur esse absurdum: ita fieri nequit, ut creet caritatem tam perfectam, qua nequeat creare perfectiorem.

Ad quartum, Respondeo maiorem solum esse veram respectu qualitatum, quas corpora ad sui conseruationem in certa proportionem exigunt, & quantum nimia intensio leduntur; secus vero esse de qualitibus quæ nullo modo sua subiecta lædunt, sed merè perficiunt, eò quod nullam habeant repugnantiam cum vlla dispositione ipsi subiecto connaturali; quare respectu huiusmodi qualitatis subiectum est ex se capax cuiuscumque intensiois si eia Deo infundantur. Idemque credo in alijs qualitibus diuina virtute fieri posse: sicut enim Deus potest corpora damnatorum perpetuò seruire incorrupta in medijs maximis ardoribus, imò summè in se ardètia, atque adeò talibus affecta qualitibus, sub quibus naturaliter nequidem momento temporis possunt integra consistere; ita possit eadè conseruare maioribus ac maioribus caloribus affecta absque villo termino. Et confirmatur, quia aliàs sequeretur, hominem diu hinc viuendo posse tandem tam multum peccare, ut Deus non possit eum in inferno condignè punire, quia non possit ei sine subito ipsius interitu infligi pœna vlla tam intensa, ac peccata ipsius exigèrent.

Alij absolute docent, non posse dari tantam caritatem, quin Deus possit eam magis & magis in infinitum intendere. Ita D. Thom. 2. 2. q. 24. Bañez ibid. dub. 2. & ferè cõmuniter D. Thomæ interpretes. Nec refert quod D. Thom. 3. p. q. 7. a. 12. videatur docere, humanitatem Christi fuisse finitæ capacitatis respectu gratiæ, & recepisse tantam, quantum poterat capere; quia loquitur de capacitare & potentia non absolute sumpta, sed prout suberat ordinationi Dei, qui statuerat ei dare tantam gratiam, & non maiorem. Idem docet Gabriel in 1. dist. 17. q. 8. ar. 1. concl. 3. & 5. Occa q. 8. Capreol. in 3. d. 13. a. 3. ad 3. Aureolus. Vasquez 3. p. disp. 47. c. 3. Suarez ibid. tom. 1. disp. 23. sect. 2. Turrian. 2. 2. disp. 68. dub. 6. & alij. Et hanc etiam puto probabiliorem: varij autem variè eam probant. Sed præcipuè probanda est, quia, ut patet ex solutione argumentorum contrariorum, nulla potest vel apparens ostendi implicantiæ in eiusmodi augmento: vnde bene infertur hoc non esse negandū diuinæ potentiæ. deinde quia aliàs sequeretur, hominem aut angelum valdè diu existendo in via posse tandem mereri maiorem aut gratiam aut pœnam, quàm Deus posset eicerpere. quod videtur omnino absurdum.

D V B I V M VI.

Vtrum habitus caritatis sit semper intensior in patria quàm in via?

73 **N**Ota Primò, habitum caritatis dupliciter posse perfici. Primò, intrinsecè & secundum serationem maioris intensiois. Secundò, extrinsecè ratione status sui subiecti, ob quem habitus sit inamissibilis, & continuum longèq; perfectiorem actum habeat, quàm aliàs habere Coninck de act. supernat.

posset. Agimus hinc solum de priore perfectione. de secunda dictum dubio sequenti.

Nota Secundò, hanc questionem posse dupliciter intelligi. Primò, faciendo comparationem ad idem subiectum; siue querendo an in eodem subiecto habitus caritatis in patria sit intensior quàm in via. Secundò, vtrum in diuersis subiectis possit hic esse intensior, quàm in celo? sed solutio secundè pendet à solutione prioris.

Lorca 2. 2. sect. 3. disp. 18. n. 7. docet, quemuis Sanctum statim initio suæ beatitudinis accipere tantum augmentum habitus caritatis, ut hæc in quouis minimo Sancto superet caritatem cuiusvis viatoris: excepta fortè caritate, quam hic habuit B. Virgo. Probat Primò, auctoritate S. Thomæ, qui l. p. q. 117. a. 2. ad 3. & 1. 2. q. 67. ar. 6. ad 3. & 3. p. q. 34. a. 4. docet, caritatem minimi Beati esse perfectiorem quavis caritate viæ.

Secundò, quia D. Augustinus sapissimè docet, caritatem in patria esse maiore, quàm in via. nam l. 2. contra Aduersarium legis & Prophet. loquens de beatis angelis ait: *Quilibet in eis minor maior est vtrique quolibet sancto & iusto, portante corpus quod corrumpitur & aggrauat animam.* Item l. 1. Retract. c. 7. docet, caritatem hic non posse esse plenam, quia in patria erit maior. verba citam supra n. 63. Similia habet l. de Perfectione iustitiæ ratiocin. 17. & in Enchirid. c. 121. & alibi.

Probat Tertiò, ex Scripturis. Primò, quia Christus Matth. 11. cum dixisset inter natos mulierum non surrexisse maiorem Iohanne Baptista, subdit, *Qui autem minor est in regno celorum, maior est illo.* in quem locum D. Hieron. refutans eos, qui per minorem intelligunt Christum, qui erat Iohanne ætate minor, & dignitate maior, ait: *Nos autem simpliciter intelligimus, quod annis sanctus, qui iam cum Deo est, maior sit illo qui adhuc consistit in prelio.*

Probat Quartò, quia Scriptura comparat caritatem siue sanctitatem quam hic habemus, cum luce auroræ & ætate puerili, sanctitatem verò patriæ cum luce claræ diei, & ætate virili. Prouerb. 4. *Infantum semita quasi lux splendens pro-* cedit, & crescit vsque ad perfectum diem. Et 1. Cor. 13. *Cum essem paruulus (ait Apostolus) loquebar ut paruulus, sapiebam ut paruulus; quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Deinde applicans similitudinem vitæ huius & futuræ, subdit: *Videmus nunc per speculum in enigmate; tunc autem facie ad faciem. nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.*

Quintò, quia quanto Deus perfectiùs cognoscitur, tanto magis voluntatem excitat ad sui amorem: atqui in patria sine comparatione perfectiùs cognoscitur, quàm in via: ergo tanto magis excitat voluntatem ad sui amorem, & consequenter hæc indiget maiore habitu, ut talem amorem possit elicere.

Sextò, cum Deus sit obiectum amoris supra naturam, quanto clariùs cognoscitur tanto amplius excedit naturam: ergo voluntas tanto maiore auxilio indiget ut eum congruè amet.

Sed hæc argumenta dictam sententiam nullo modo probant. Ad primum, Respon-

Pp 3 deo

deo D. Thomam nullibi vel leuiter significare nobis initio beatitudinis conferri maiore habitum caritatis, quam hic habuerimus; sed solum caritatem patriæ propter perfectiorem statum subiecti & actum diuersæ omnino rationis ac ordinis superioris esse perfectiorem caritate viæ, non in intensiōe, sed in alio genere perfectionis, vt etiam ex eo ostendam disput. 23. dub. 3. & hoc solum probant loca citata ex 1. 2. & ex 3. part. nam prior dicit caritatem patriæ superare caritatem viæ, non ob maiorem intensiōem, sed quia est coniuncta cum. visiōe ex qua causatur perfectior actus, quam hic possit causari. Similiter in 3. part. solum dicit gratiam viatoris habere minorem mensuram respectu gratiæ comprehensoris, quia deficit ab ipsius perfectione, quia scilicet caret clara Dei visiōe. Vbi per gratiam non intelligit solam caritatem aut gratiam sanctificantem, sed ea omnia quæ hominem ad statum supernaturalem eleuant: alias ipsius argumentum esset nullum; sed aperte sumeret id quod erat probandum. Locus autem citatus ex 1. p. nihil omnino facit ad rem: nec enim propriè ibi agit de maiori in caritate, sed in cognitiōe necessaria vt vnus alterum instruat; dicitque homines quosdam sanctos non actu, sed virtute hac ratione esse quibusdam angelis maiores, quatenus habent caritatem, quæ mergitur maiorem beatitudinem, siue clariorem Dei visiōem; quam tamen de facto adhuc non habent.

Ad secundum, Respondeo D. Augustinum illis omnibus locis non tam loqui de habitu caritatis, quam de actu; ponitque excessum caritatis patriæ non in maiore intensiōe (hoc enim nullibi vel leuiter insinuat) sed in eo, quod beatus ita tota mēte, virtute ac affectu in Deum continuo amore feratur, vt hunc non diuidat in res vllas alias, quarum amor posset quacumque ratione actualem Dei amorem minuire, eiusque puritatem aliquo peccato veniali aliāve inordinatione offuscare: prout nobis hic contingit, qui varijs cupiditatibus & minis ordinatis erga res alias affectibus impedimur, quo minus omnino purè & perfectè siue ex integro affectu possimus toto animo Deum amare. Hinc libr. de Perfectione iustit. ratiocinatione 17. docet, nos in cælo amatores Deum ex tota mente & affectu, hic autem id fieri non posse: & in eo constituit excessum caritatis patriæ supra eam quæ est in via. verba eius sunt: Caritas autem, quæ in his tribus maior est, non auferatur, sed augeatur & impleatur contemplata quod credebatur, & quod sperabat indepta (ecce quomodo causam augmenti caritatis non ponat in intensiōe habitus, sed in coniunctiōe cum clara Dei visiōe, ex qua fit vt perfectiùs Deum amet.) In qua plenitudine caritatis preceptum illud implebitur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Nam cum est adhuc aliquid concupiscentiæ quod vel continendo frenetur, non omnimodè ex tota anima diligitur Deus. Item in Enchiridio c. 121. ait: Ibi autem quis explicet, quanta caritas erit, ubi cupiditas, quam vel coercendo superet,

Cur hic nostra caritas sit imperfecta.

S. Augustinus ponit magnitudinem caritatis in exclusiōe contrarij affectus.

nulla erit: quando summa sanitas erit, quando contentio mortis nulla erit? Vbi ponit magnitudinem caritatis in exclusiōe omnis contrarij affectus. Quibus etiam aperte consonat locus citatus n. 63. ex l. 1. Retract.

Ad tertium, omittis variis illius loci apud Matth. cap. 11. explicationibus, Respondeo Christum dicere quemuis Beatum esse maiorem S. Iohanne Baptista adhuc viatore; tum quia, vt iam dixi, perfectiore actu Deum amat: tum quia longè perfectiorem de Deo rebusque diuinis habet cognitiōem, de vtriusque enim potentiā, scilicet tam intellectus quam voluntatis, perfectione ibi agitur. & in vtriusque perfectione minimus Beatus superat quemuis viatorem; quia perfectiùs perfectissimo suo obiecto & primæ regulæ adhæret ac conformatur; in quo consistit nostra perfectiō. vide dicta disput. 21. dubio 5. & dicenda disput. 23. dubio 3. Ex quo patet responsio ad auctoritatem D. Hieron.

Ad quartum, Respondeo Primò, priorem locum solum probare iustos hic vique ad finem vitæ semper in iustitia crescere; secundum verò nos in cælo longè perfectiorem habituros cognitiōem rerum diuinarum, quam hic habeamus: de hac enim sola ibi Apostolus agit, quæ nihil contra nos faciunt.

Respondeo Secundò, meritò etiam possè dici caritatem viæ se habere respectu caritatis patriæ, sicut se habent aurora & puerilis ætas respectu claræ diei & virilis ætatis, ob perfectionem quam iam dixi eam in patria acquirere, quamque infra disput. 23. dubio 3. magis explicabo; quæ non consistit propriè in maiore intensiōe, sed in ratione longè diuersa.

Ad quintum & sextum, Respondeo Primò, si aliquid probarent, probarent caritatem patriæ debere esse altioris ordinis, & alterius speciei quam sit in via, & hac quasi infinitis perfectiorem: sicut cognitiō patriæ est altius speciei, & infinitis perfectior cognitiōe viæ. Item probarent habitum caritatis minimi Beati debere esse perfectiorem habitu caritatis, quam habuit B. Virgo in fine vitæ; quia illius cognitiō est incomparabiliter perfectior & altioris ordinis, quam hic fuerit cognitiō B. Virginis, quæ etiam in vitæ fine per fidem Deum cognouit.

Respondeo Secundò, ad quintum, nego consequentiam; quia, vt infra ostendam, sine incremento habitus voluntas ibi potest perfectiùs amare Deum, quam hic. Ad sextum, nego antecedens: quanto enim Deus magis cognoscitur, eo faciliùs à voluntate amatur, & consequenter etiam eum amare eo minus est supra vires eum cognoscentis, & voluntas ad hoc minore auxilio indiget.

CONCLUSIO I. Non videtur vllò modo probabile, habitum caritatis minimi Beati esse intensiorem maxima caritate, quam hic habuit vllus viator, etiam excepta B. Virgine. Hanc à fortiore tenent Auctores citandi conclus. 2. Probatur Primò, quia, vt iam ostendi, contraria sententia nullo fundamento nititur.

Secun-

Quidam
sanc-
tissimos
millies mil-
lites in cari-
tate superat.

Secundo, quia ex alia sententia videtur sequi apertum absurdum. Quod sic probatur. Quia multi sunt Sancti qui in fine vite sue intentione caritatis millies millies & amplius aliquos alios superant, v. c. infantes qui olim statim à circumcissione, aut iam statim à baptismo suscepto, aut etiam adultos qui paulò post actum remissum contritionis, quo primum fuerunt iustificati cum exiguis meritis mortui sunt. His enim si compares quosdam Sanctos qui longissimo vite spatio continenter in summa sanctitate vixerunt, & plurima pro Deo passi sunt, ac plurimos & feruentissimos caritatis actus elicuerunt, ac sapientissime Sacramenta cum ingenti deuotione frequentarunt; nullum videtur dubium quin ubi priores habuerint vnum gradum meritum aut gratiæ, hi habuerint aliquot milliones. Atque adeò secundum aliam sententiam cum illorum caritas in patria debeat sine comparatione esse intensior horum caritate in via, illis post mortem debebunt minimùm aliquot milliones graduum gratiæ conferri, supra illum vnum gradum quem hic habuerint. quod & per se parum credibile est, & videtur Scripturæ repugnare, vt ostendat conclusio sequenti; & ex eo manifestum sequitur absurdum, vt mox ostendam.

83. Peto enim vtrum omnibus Sanctis post hanc vitam æqualiter dentur tot gradus gratiæ supra eam quam in vita habuerunt; an verò proportionaliter secundum merita, vt qui hic habuerit sex gradus, sextuplo plures post hanc vitam recipiat, quam is qui hic tantum vnum gradum habuerit: & sic proportionaliter in ceteris: vtrumlibet autem dixeris, sequetur apertè absurdum. Si enim dixeris prius, sequetur eum qui hic altero fuerit centuplo, aut etiam millecuplo sanctior, in celo valde parum fore beatiores: nam tantum habebit centum aut summum mille gradus caritatis, & consequenter etiam luminis beatifici sue gloriæ (nam habitus caritatis, & lumen beatificum in Beatis semper sunt in eodem Beato æquè intensa) plures altero: quod in tot millionibus valde exiguum est; si enim essent hic duo homines, quorum vterque haberet sex milliones aureorum, et si alter eorum haberet præterea adhuc centum aut mille aureos, hic non posset dici notabiliter altero ditior, imò secundum communem loquendi modum vterque diceretur æquè diues. Et simile in dicto casu esset de illis duobus Beatis. quod absurdissimum est, & repugnans communi omnium Catholicorum sensui.

84. Quod si secundum dicatur, sequetur, nos pro actu, quo hic meremur caritatis sue gratiæ augmentum vt sex, recepturos in celo viginti vel triginta milliones graduum luminis beatifici; atque ita paucissimis actibus nec multum intensius aut Sacramentorum receptione augendam gloriam in immensum, quæ sunt contra communem conceptum, & nihil habent probabilitatis. Nam cum vel vnus gradus gloriæ tanti æstimandus sit; vt, si Deus in rigore nobiscum ageret, abundantissime sufficeret remunerandis maximis meritis, quam habet probabilitatem tantam tamque immensam gloriæ intentionem quibusvis etiam remissis actibus

In rigore agendo & seposito Dei decreto vnus gradus gloriæ maximis meritis remunerandis sufficeret.

conferri? Item cum plurimis nimis largi videantur, qui asserunt singulis actuum caritatis intentionis gradibus tribui vnum gradum habitus, aut saltem ei æquiualens, quando hic est intensior ipso actu; qua tandem probabilitate tribuemus ei tam immensum excessum augmenti? quæ etiam clariora fient ex probatione conclusionis sequentis.

CONCLUSIO II. Multò probabilius, & vt puto, certum est, nemini vllum augmentum gratiæ sue caritatis post hanc vitam de nouo conferri; atque ita caritatis habitum, quem quis dum moritur habet, esse æqualem quoad intentionem ei quem postea habet beatus. Ita Suarez de Reuiviscencia meritor. disp. 2. sect. 3. n. 50. in fine, & tom. 4. in 3. p. disp. 47. sect. 2. n. 5. in fine, ubi docet, contrariū carere omni fundamento, & esse parum consonum Scripturis. Malderus 2. 2. q. 24. a. 7. dub. 4. concl. 3. ubi citat Almainū, Scotum & Flau. Hanc etiam sententiam apertè docet Caiet. 2. 2. q. 24. a. 7. §. Ad cuius euidentiam. & Bañ. ibid. dub. 3. ubi obscurè quidem loquuntur, tamen si attentè legantur, facillè patebit eos docere, caritatem patriæ in hoc solo superare caritatem viæ, quod ibi ratione clarioris propositionis ipsius obiecti, sit natus elicere perfectiorem actum. vt apertè patet ex ijs quæ dicit Bañez ibi §. Sed tamen mihi.

Probatur Primò, quia, vitam ostendi, nullum est fundamentum dicendi contrarium. Secundò, quia vel nostris actibus hic meremur saltem de congruo illud augmentum, ac ex Dei ordinatione debitum est susceptioni Sacramentorum, quæ hic suscipimus; vel contra ex mera Dei liberalitate initio beatitudinis nobis confertur. Si prius dicatur, nulla est ratio, cur non statim conferatur, cum non minus hic sumus capaces illius augmenti, quam reliquorum graduum caritatis, quos hic statim accipimus. Si secundum dicatur, sequitur, nos post hanc vitam non recipere prout hic gessimus, sed sine comparatione amplius, contra illud Apostoli 2. ad Corinth. 5. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum. Item quia dicta ratione retributio gloriæ longè maxima ex parte non esset corona iustitiæ; sed gratuita donatio, contra illud 2. ad Tim. 4. Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.

86. Vrgent hæc autem eo magis, quia si vlla sit ratio dicendi nobis post hanc vitam dari aliquod augmentum habitus caritatis supra id quod sumus hic meriti; illud debet esse sine vlla comparatione longè maius omni caritate quam hic pro nostris meritis ac Sacramentorum susceptione suscepimus; vt patet ex rationibus, quas Lorca supra pro se addert. si hoc autem semel concedamus, sequetur nostram gloriam vix minima sui parte esse coronam iustitiæ, aut respondere ijs quæ hic gerimus in corpore, sed ferè totam, imò secundum communem loquendi modum, qui parum pro nihilo reputat, absolute totam esse gratuitum Dei donum; sicut si merito vnum aureum dares decem millia, non censeris dare mercedem, sed gratuitum.

85. Morientes hic & beati qualem habent habitum caritatis.

Suarez.

Malder. Almain. Scotus. Flau. Caietan. Bañez.

Post hanc vitam nihil gratiæ ex liberalitate Dei accipimus.

2. Cor. 5.

2. Tim. 4.

Lorca.

nitum omnino donum. Illud autem non satis consonat Scripturis iam citatis; sed satis aperte ijs repugnat.

87
Qua ratione
Deus nostra
opera remun-
neret supra
condignum.

Nec his obstat, quod Deus communiter dicatur nostra opera remunerare supra condignum. nam inde non sequitur, eum aliquem gradum gratiae nobis post hanc vitam, aut supra eam, quam ex ipsius constitutione per nostra opera meremur, conferre, sed eam gloriam quam nostris bonis operibus in primum promissit; & quam consequenter per hanc meremur, longè excedere ipsum valorem operum secundum se & seculum Dei promissione spectatorum. ut fusiùs ostendi supra disp. 8. dub. 3. & 4.

88
Multi viato-
res habent
caritatem
intensiores
quam aliqui
Beati.

CONCLUSIO III. Multi in hac vita habent habitum caritatis longè intensiorem habitu multorum Beatorum. Sequitur aperte ex concl. 2. Nam certum est multos hinc in via habere caritatem longè intensiorem, quam multi iusti, praesertim infantes qui statim post baptismum moriuntur, habeant in fine vitae; cum igitur hi non habeant intensiorem habitum in caelo, quam hic habuerint in fine vitae, aperte sequitur, multos hinc in via habere habitum intensiorem, quam illi habeant in caelo.

89

Nota demum quosdam concedentes habitum caritatis in eodem non esse intensiorem in patria, quam fuerit in fine vitae ipsius; tamen asserere actum ibi fore longè intensiorem, quam hic possit à nobis elici; atque adeò videntur insinuare fore intensiorem ipso habitu, ita Mald. supra in 4. argumento: & idem videntur innuere Bañez & Caiet. supra citati, quamvis obscure & intricatè loquantur.

Malders.
Bañez.
Caietan.

Probat hanc sententia, quia idem oculus aequaliter in se dispositus clariùs videt obiectum clarè propositum, quam obscure propositum; ergo similiter voluntas cum aequali habitu caritatis poterit intensius amare Deum clarè visum, quam per fidem cognitum; quia Deus clarè visus longè magis excitat voluntatem ad sui amorem, quam sola fide cognitus.

90
Amor patrie
non est inte-
rior habitu
suo.

Sed haec ratio non probat actum caritatis in patria esse intensiorem quam fuerit ipsius habitus hic in via; sed ut summum videtur probare actum hic in via nunquam posse esse tam intensum, quam sit ipse habitus. sicut oculus obiectum obscure aut remotè sibi propositum videt imperfectiùs quam sit vis ipsius videndi: quantumvis tamen hoc ei clarè ac commodè proponatur, nunquam id videt intensius siue perfectiùs, quam sit ipsius vis videndi. An autem voluntas hic nequeat amare Deum tam intensè, quam sit ipsius habitus, etsi disputari possit; non video tamen causam, quare satis probeream hoc non posse. praesertim quando habitus est valde remissus: nam, etsi obscuritas propositionis obiecti causet aliquam aliam imperfectionem in ipso amore, ut ostendam disp. 23. dub. 3. tamen non necessariò causet minorem intensiorem, cum Deus etiam sola fide cognitus possit ex parte sua sufficienter excitare voluntatem, saltem ad remissum aliquem amorem, & aliàs sequeretur, nullum, etsi haberet intensum habitum, posse amare Deum intensè ut quinque vel sex: nam si habens solum

Potest hie-
lici amor
Dei habitui
aqualis.

habitum ut sex ob defectum propositionis obiecti, nequeat amare Deum ut sex, nec etiam habens habitum ut centum id poterit; cum sit eadem obiecti propositio in utroque: & quamvis intensior habitus det voluntati potestatem intensius amandi posita sufficienti propositione obiecti; huius tamen defectum non supplet. Sed hac de re dicemus plura infra disp. 23. dubio 4.

D V B I V M VII.

Quot modis caritas possit perfici aut dici perfectior.

PRATER perfectionem intensiorem, qua habitus caritatis secundum se & intrinsecè perficitur; de qua dubijs praecedentibus egimus; varijs alijs modis potest perfici ratione itatus, cognitionis, aut variarum affectionum ipsius subiecti, quae non tam efficiunt ut ipse habitus caritatis sit in se perfectior, quam ut actum perfectiorem eliciat.

D. Thom. 2. 2. q. 24. a. 8. docet, caritatem quadrupliciter posse dici perfectam. Primum igitur illa absolute omnibus modis est perfectissima, qua Deus amatur quantum est amabilis: sed haec vni Deo convenire potest; omnino enim implicat ullam creaturam tantum amare Deum quantum est dignus amari; sicut implicat eum à creatura tantum cognosci quantum cognoscibilis est. Secundò, illa caritas dicitur perfecta, qua creatura aliqua continuo actu tantum amat Deum, quantum ipsa potest eum amare; & haec solis & omnibus Beatis convenit. Tertiò, qua, etsi non continenter, tamen quantum humana fragilitas fert, homo Deum amat, quantum fieri potest cor suum ab alijs rebus abstrahendo, ut totaliter in Dei amorem feratur; & haec caritas reperitur in ijs solis, qui perfectionem toto corde sequuntur. Quartò, qua homo ita Deum amat, ut nihil ipsius amicitiae praeponat, siue ut nullo modo velit eum mortaliter offendere; & haec caritas est communis omnibus iustis.

D. Thom.
Caritas qua-
drupliciter
dicitur per-
fecta.
Implicat
creaturam
tantum amare
Deum qui-
tum amabile-
lis est.
Caritas Be-
atorum.

perfectiorum
viatorum.

Et secundum hanc distinctionem variae Scripturae intelligendae & conciliandae sunt: nam ratione quarti modi perfectionis dicitur Iohannis 2. Qui autem servat verbum eius (omnia scilicet Dei mandata) vere in hoc caritas Dei perfecta est. Ob tertium verò modum perfectionis Matth. 19. servanti omnia mandata quali adhuc imperfecto dicitur: Si vis perfectus esse, vade & vende quae habes, & da pauperibus. ut scilicet ita expeditus omni affectu rerum terrenarum totum affectum in Deum transferas. Rursum S. Paulus ad Philipp. 3. v. 8. omnia propter Deum reliquerat, & ut stercorea arbitratu fuerat; & tamen quia adhuc ei deerat perfectio quam expectamus in patria, v. 12. ait: Non quid iam acceperim aut iam perfectus sim: sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum. ut scilicet comprehendat ipsum brauium superne vocationis; ut docet v. 14. per quod adveniente quod perfectum est, evacuabitur quod imperfectum est, cum cognoscemus Deum sicut & cogniti sumus. ut dicitur 1. ad Cor. 13.

92
Iohannis 2.
Matth. 19.

Matth. 19.

Philipp. 3.

1. Cor. 13.

Alia